S. D.

Magnas tibi ago gratias, Henrice
cariss. pro elegantiss. Epigrammate,
quod in filioli mei gratiam in medio
Nundinarū strepetu composuisti: atq;
utinam, ut antea mihi, ita nunc Vxo
ri quoque meæ uerus sis Vates. Quod
autem crumena tibi cum scutatis ali
quot aureis furto subtractam esse scri
bis; equidem tecum doleo. Noua apud
nos hæc sūt. Redis. Princeps noster
Academiam, seu Vniuersitatem, ~~nouā~~
ut uocat, nouam hîc instituit, in cuius
gratiam amplissimum Collegium mag
nis sumptibus, & regio plane apparatu
iam extruitur. Sed Jesuitæ, ~~quod~~ mul
tis indignantibus, in noua hac Acade
mia fere regnant soli, & suo arbitratu

omnia administrant. Creati iam hîc
sunt aliquot Magistri, & Doctores ex
Iesuitarum Societate, & eorundem discipulis.
Peregrini uerò studiosi adhuc pauci hîc
uidentur. Ego mea uero; ad ipsorum
disputationes & reliques actus rarissimè
accedo: & ut maximè uelim, propter alia
negotia, & frequentes peregrinationes id
facere non possum. Quod superest, latere
te nolo, me ante octidum acerbissimis
podagræ doloribus correptum fuisse, & uexa
tum misere, ut nondu etiam incedere
possim, sed magna diei ptem in lecto
transigere cogar, donec reliquiæ dissipé
tur, & pars affecta ~~dor~~ denuò nonni
hil corroboretur. Quid de Saracenj nostj
Dioscoride fiat, scire cupio. Cum meis

uerbis amanter salutarj cupio.
Vale, Vir Cariss. & animo meo
carissime. Virzeburgj XVI.
Martij, Aº 83.

Tuj amantiss. Johan. Posthius
M.D.

Clariss. Viro,
D. Henrico Stephano,
typographo doctissimo,
amico suo carissº.

Posthius.